

Clerici verò, & Religiosi, quando ipsi interdicti non sunt, possunt, ac debent, ut ante, Missas, & Divina Officia celebrare, sed Januis clausis, non pulsatis campanis, voce submissa, & exclusis interdictis, ut in cap. Alma Mater.

Permittit tamen, ut in festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. Virginis, quibus additus fuit à Martino V. dies festus Corporis Christi cum Octava, & à Leone X. dies festus Conceptionis ejusdem B. Virginis, tempore interdicti generalis, Missæ, & Divina Officia publicè, & solemniter celebrentur, Januis apertis, cum campanarum sonitu, admisis quoque interdictis, qui causam interdicti dederunt, modo illi non appropinquant Altari, nec veniant ad Offertorium, vel Communionem, exclusis tamen excommunicatis. Matruius disp. 13.

4408. Quod privilegium est de interdicto locali generali, minime locali speciali, nec de personali; etiam generali; quia in his nihil est immutatum jure novo in cap. Alma Mater, sed remanet rigor juris antiqui de Bonifacio VIII. unde in Ecclesiis specialiter interdictis, in quibus Eucharistia asseratur, solum licet semel in hebdomada celebrare Missam pro renovanda Eucharistia, & ea conservanda pro infirmis.

Tempore interdicti possunt pulsari campanæ ad excitandum populum pro Salutatione Angelica.

Item ipsi interdicti possunt licitè ingredi Ecclesiam orationis causa, dummodo tamen Divina Officia non celebrentur. Insuper possunt per pulsam campanæ convocari ad concionem, ut ad correctionem induci valeant. Matthæucci tom. 2. pag. 112. n. 12. Vide num. 4356.

4409. 2. Prohibitio activa, & passiva aliquorum Sacramentorum, excepto Baptismo, & Confirmatione, quæ possunt solemniter ministrari, etiam ipsis interdictis, & in loco interdicto, quia sunt Sacramenta necessitatis.

Sacram. Penitentia, quia pariter est necessitatis, ministrari potest similiter in quovis interdicto, etiam locali, & personali, exceptis his, qui fuerunt causa culpabilis interdicti, nisi prius satisfecerint.

Sacram. Eucharistia tempore interdicti ministrari non potest, nisi in articulo mortis per modum Viatici, & cum debita solemnitate, atque sine modo Viatici, in probabili periculo mortis, videlicet in periculoso partu, &c. ut in num. 3357. Extrema Unctio omnino prohibetur, seclusa extrema necessitate, in qua moribundus alia Sacramenta suscipere non potest.

Sacramentum Ordinis tempore interdicti, nec potest licite ministrari, nec recipi. Matrimonium non suspenditur in loco interdicto, & inter personas generaliter interdictas, bene verò solemniter benedictio sponsozum. At ipsi sunt culpabiles, & specialiter personaliter interdicti, non possunt licitè, bene autem validè matrimonium contrahere, si sint contu-

maces, idque speciali titulo; quia scilicet ponunt obicem gratiæ per Sacramentum recipienda. Vide num. 2963. Phœbeus lib. 4. tit. 17. num. 16.

4410. 3. Prohibitio Ecclesiastica sepulture in qua comprehenduntur infantes, & amentes. Excipiuntur Clerici, qui in interdicto locali, si nominatim interdicti non sunt, nec interdictum violant, possunt cum silentio sepeliri. Busemb.

4411. Qui violant interdictum, si sint laici, peccant mortaliter, recipiendo Sacramenta contra interdictum personale; si autem violent interdictum locale, audiendo v. gr. Divina Officia; peccare venialiter, ait Busemb. cit. dummodo ipsi personaliter interdicti non sint; ipsi verò laici, si cogant celebrare Divina Officia in loco interdicto, vel vocent interdictos, ut illis intersint, aut prohibeant, ne ipsi interdicti à celebrante moneant, exeant: insuper, & ipsi interdicti, si post monitionem exire recitent, incidunt ipso facto in excom. majorem Papæ reservatam, ex Clem. II. de Sent. excom.

4412. Clerici, & Religiosi utriusque sexus violando interdictum peccant mortaliter. Imò Clerici violantes interdictum quodlibet per actum Ordinis Sacri, incurunt irregularitatem, sicut violando alias censuras: habetur, ex cap. 15. Cui, de Sent. excom.

4413. Interdicere possunt, qui excommunicare, & suspendere. Pro interdicto personali requiritur culpa mortalis. Pro locali, vel generali in Communitatem peccatum valde grave cum contumacia commissum à capite, vel precipuis membris, licet reliqui culpa vacent.

Interdicta localia, & personalia generalia, quæ jure communi sunt imposita, nec reservata, possunt tolli ab Episcopo, vel alio habente jurisdictionem in Communitatem interdictam: non tamen à Religiosis privilegiatis; quia locus, & Communitas foro penitentia non subjunguntur. Ab interdicto juris personali particulari, si reservatum non est, quis approbatus potest absolvere. Ita Busemb.

4414. In privilegio absolventium ab omnibus censuris non includitur facultas tollendi interdictum locale, aut personale generale, bene verò interdictum personale particulare à jure latum, non ab homine, quia hoc ab eo, qui tulit, tollitur.

Pro privilegiis Regularium quoad interdictum, quantum ad plures effectus, sepulturam suorum, & festivitatem propriorum Sanctorum, vide Mare Magnum Sixti IV. Pro Predicatoribus Bullam 7. & pro Minoribus Bullam 6. de anno 1474. in tom. 1. Bullarum, & suffus in Bullario Rodrig. pag. 153. Conf. 48. Pauli III. Licet debitorum, in Bullar. Bullam 29. Leonis X. Cum Sancta, in Bullar. Rodrig. pag. 314. Bullam 4. Clem. VIII. Sacra, 17. Octob. 1595. Dianam part. 3. tract. 2. ref. 143. Matthæucci in Officiali Curia, tom. 2. pag. 109.

CESSATIO A DIVINIS

4415. Propriè, nec est pœna, nec censura, sed simplex prohibitio Ecclesiastica, quæ Clerici, seu Ministri Ecclesiæ prohibentur persolvere publicè Divina Officia, ministrare aliqua Sacramenta, & sepelire laicos in loco sacro, in signum gravissimi mororis ab Ecclesiâ concepti, propter gravissimam injuriam sibi, aut honori divino illatam, ut injuriantes resipiscant, & Ecclesiæ læsæ satisfaciant. Leander de Pœnis, tract. 3. cum com. ex cap. Quarenti, de Verb. significat. ubi interrogatus Innocent. III. de numero censurarum, respondit esse tres excommunicationem videlicet, suspensionem, & interdictum.

Hinc violans cessationem à Divinis, sive particularem, sive generalem; peccat mortaliter; sed cum irregularitatem non incurrit consequenter docet Leander cit. q. 7. & 8. cum D. Anton. Soto, Navar. Toledo, Suario, & aliis.

De Censuris fusè agunt Fagnan. in Decretalibus sub propriis titulis Pirhing. lib. 5. tit. 37. Phœbeus à tit. 14. ad 17. Matruius disp. 13. à quasi 1. ad 14. Leander tom. 4. de Censuris. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 1. 2. & 3. Gobat in Exper. tract. 3. 7. & 8. pluribus in locis. Joan. Dieahillo de Censuris, tract. 10. à disp. 1. ad 5. Anton. à Spir. S. de Censuris, tract. 12. Matthæucci in Offici. Curia, tom. cap. 7. à num. 107. Mendon in suis titulis.

CAPUT II.

DE PœNIS.

IRREGULARITAS

4416. EST, impedimentum Canonicum susceptionem primæ Tonsuræ, Ordinum Minorum, & Sacrorum, & susceptorum usum impediens, non autem in ordine ad reliqua Sacramenta.

Alia est ex delicto, alia ex defectu: alia totalis, & propriè dicta, quæ omnis ordinis susceptionem, & suscepti exercitio privat, ut homicidium, & bigamia. Alia partialis, quæ alicujus tantum usui privat, vel solo ascensu ad Ordinem superiorem, v. gr. oculis, vel palma carens inhabilis est ad Sacerdotium, non ad Confessiones audiendas, & Diaconus oculo sinistro carens inhabilis est ad Sacerdotium, potest tamen in suo Ordine ministrare. Busemb.

4417. Irregularitas graviter illicitat Ordinum susceptionem, & susceptorum exercitium, sed non invalidat.

Uc incurrat irregularitas ex delicto, requiritur actus externus, contumatus, & mortalis. Irregularitas verò ex defectu contrahitur sine culpa; quia est à jure imposita ob indecentiam, quam talis, vel talis defectus asserit facti altari, & ministerio.

4418. Irregularitas nulla incurritur, nisi sit expressa in jure, ex cap. Is qui, de Sent. excom. in 6.

Unde in dubio, sive facti, sive facti, tenere potes, quod non sis irregularis; quia melior est conditio possidentis; excipitur tamen dubium de homicidio voluntario à te commissio, quia est expressum in jure. Hinc si positivè dubites, te occidisse, negativè verò dubites, te non occidisse, censori debes irregularis; minime, si probabiliter putes, te non occidisse, licet aliquam formidinem habeas de opposito, quia erit opinio probabilis, quæ non est expressa in jure. Dixi: Dubium de homicidio, non de mutilatione, qui sola mutilatio, & non dubium de ea, est expressa in jure.

IRREGULARITATES SUNT 15

HIS contentæ verbis, ubi numeri referuntur ad numeros sequentes, in quibus irregularitates singularem explicantur.

EX DELICTO SEPTEM.

6. Hæreticus, 1. Baptismus iterans, 7. Mutilans, 7. Homicida.
5. Famulus, 2. Violans censuras, et ligatur.
4. Improbè suscipiens, 3. Et tractans Ordinis actus.

EX DEFECTU OCTO.

6. Infamis, 5. Bigamus, 2. mutilans, 8. Justeque cruentus.
1. Neophytus, 7. Obstrictus, 3. Nothus, 4. Puer, 1. Atque idiota.
1. Obfessus, 1. Domens, 1. Lunaticus, 2. Hermaphroditus.

IRREGULARITATES EX DELICTO

4419. SUNT septem. 1. Incurritur propter Baptisimum serid, & scienter iteratum, tam à rebaptizante, quàm à rebaptizato. Cap. Ex litterarum, de Apostatis, & Reiteratione Baptismi. In rebaptizante impedit solum, ne ad altiorem Ordinem possit ascendere, & non incurritur, si rebaptizatio sit occulta. Non incurritur ex reiteratione confirmationis; quia non est expressa in jure.

2. Ex violatione censuræ, ut si excommunicatus, interdictus, vel suspensus actum Ordinis solemniter exerceat, sit inhabilis ad illius Ordinis exercitium. Cap. Si quis Episcopus 11. q. 3. cap. Is qui, & cap. Illorum, de Sent. excom. in 6. Vide num. 4366.

3. Si Clericus serid, & scienter exerceat solemniter actum Ordinis, quem non habet, cap. 1. & de Cleric. non ordin. Ut si Diaconus, & maximè Laicus Missam celebret, &c. Non incurrit, qui exerceat actum jurisdictionis, quam non habet, ut si Sacerdos, absque licentia confessiones excipiat, licet peccet mortaliter.

4. Ex mala Ordinum susceptione, ut si quis ordinatus sit in excommunicatione, suspensione; aut ab Episcopo excommunicato, suspensio, interdicto, hæretico denunciato, seu non habente jurisdictionem; vel Ordines furtivè susceperit, ut in num. 92.

Ordines furtivè suscipere dicitur, qui sine Episcopo

pi ordinantis scientia, & voluntate, non vocatus, nec legitime examinatus, vel admittus, cum aliis ordinandis se ingerit, vel nomen alterius approbati usurpando, vel alium in examine sub suo nomine supponendo, & sic vocatus accedit. Hæc irregularitas impedit ascensum ad Ordines.

Qui excommunicatione, aut suspensione ligatus suscipit Ordinem Sacrum, novam suspensionem incurrit, at non incurrit irregularitatem per hoc, quod in Missa Episcopi, in qua ordinatur, Epistulam, aut Evangelium solemniter canat. Quia quod solenne exercitium Ordinis suspensum reddit irregularem, intellige de exercitio Ordinis extra actum susceptionis Ordinis; nam illud exercitium spectat ad actum susceptionis.

5. *Propter enormem criminis, si sint notoria, & publica, quæque à jure habent annexam infamiam; talia sunt adulterium, incestus, raptus virginis, sodomia, veneficium, duellum, sacrilegium, simonia, crimen lese Majestatis, perjurium in judicio.*

6. *Propter hæresim, vel Apostasiam, sive publicam, sive occultam, quæ si à patre procedat extenditur ad filios, usque ad secundam generationem; si à matre, usque ad primam. Pro extensione autem requiritur. 1. Quod parentes mortui sint in delicto hæresis. 2. Sententia, aut confessio in judicio, vel notorietas facti.*

7. *Ex injusta mutilatione, vel injusto homicidio, etiam voluntario indirectè, & in causa. Comprehendit mandantes, consulentes, aut alio modo positivè concurrentes, etiam in bello injusto, in quo si unus occidatur, totus exercitus fit irregularis, si sit cooperatus.*

4420. Quando plures non ex consilio, sed in rixa unum percutiunt, sed unus vulnus infligit, ex quo moritur; si de vulnerante constat, ille solus est irregularis: Irregularis tamen erit etiam ille, qui non percussit, si aggressio facta sit ex consilio, & compacto, nam tunc, qui percussit, factus est audacior ex comitatu.

4421. *Qui infirmo dat cibum, vel potum, &c. vel movet, vel de lecto in lectum transfert, aut aliud bona fide operatur, ex quo mori, vel ejus acceleratio præter intentionem sequatur, non fit irregularis, nisi interveniat culpa lata. Hinc Sacerdotibus, & Religiosis circa moribundos licent eadem, quæ laicis. Busemb. ex Diana, & Bonac.*

4422. Qui procurat abortum fetus animati anima rationali, fit irregularis; minime si fetus non sit animatus. Fœtus masculinus animatur post 40 dies, femininus post 80. In dubio quantum ad hunc casum, censeri debet masculinus ex stylo S. Pœnitentiariæ.

Laicus, sive Clericus occidens calumniatorem evadit irregularis juxta dicta à num. 2088. Vide in pag. 2. prop. 17. & 18. ab Alex. VIII. dam. & in pag. 4. prop. 30. 32. & 33. ab Innoc. XI. dam.

De irregularitate hæc plura dicta sunt suis in lo-

eis de Homicidio, Abortu, Duello, & Bello.

4423. *Mutilatio est abscissio membri principalis. Membrum est pars corporis, officium per se habens distinctum ab alio, ut manus, pes, oculus, &c. unde non est irregularis, qui abscindit digitum, quia non est membrum, sed pars membri. Nec qui abscindit labia, dentes, capillos, auriculam, & nasum, cartilaginem tamen, non organum; quia non sunt membra, sed organa membrorum. Nec qui excæcat hominem, sed oculum non extrahit. Nec qui membrum debilitat, sed non abscindit, quia non mutilat. Leander.*

In omni casu, quo quis alium mutilando fit irregularis, fit etiam irregularis mutilando seipsum. Leander de Paris, tract. 2. disp. 18. quest. 32. quia est verè membri mutilator, & majori delicto. Non sic è converso; non enim in omni casu, quo fit irregularis mutilando se ipsum fit irregularis mutilando alium. Leander cit. q. 24. Quia mutilando quis sibi partem membri fit irregularis ex jure ob specialem sævitiam, ut in num. 4443. Non sic mutilando partem membri alteri, sed requirit amputando integri membri. Vide num. 4504.

Item non in omni casu, quo quis facit alium irregularem, fit ipse irregularis. Leander cit. q. 25. nam qui alterius faciem cicatrice deformat, ei nasum, aut indicem abscindit; facit alium irregularem ex defectu corporis, at ipse irregularis non est; quia non mutilator. Ita è converso, non in omni casu, quo quis mutilando fit irregularis, mutilatus fit irregularis. Leander cit. q. 26. nam, qui injuriosè alteri virilia abscindit, fit irregularis, quia est verè membri mutilator, at sic mutilatus, non est irregularis, ex num. 4446.

Potest tamen casus contingere, quo tam mutilans, quam mutilatus fiat irregularis. Leander cit. q. 27. tam si diversa sit persona, ut liquet, quam si eadem, puta si quis ex ira sibi manum abscideret, esset inquam irregularis, ut mutilans ex delicto, & irregularis, ut mutilatus ex defectu corporis.

4424. Clericis, & Religiosis Sacris initiatis est prohibitum officium medici, quod fit abscindendo, vel adurendo, uti est medici chirurgi, minime officium medici phyci, quod sine abscissione, & adulatione exercetur. Ita in jure.

4425. Clericus autem, aut Monachus, si peritus sit, & diligentem in curatione adhibeat, non est irregularis, si exindè mors sequatur, alio peccaverit exercendo officium prohibitum; quia non incurrit irregularitatem ex delicto homicidii, nisi interveniat culpa mortalis homicidii. Idem à fortiori dic de exercente medicinam physicam, ex cap. Tua vox; secus, si non sit peritus, nec diligentiam adhibuit, & mors sequatur. Leander de Paris, tract. 2. disp. 9. Vide à num. 2114. ad 2119.

IRREGULARITATES EX DEFECTU

4426. *Sunt octo, 1. Ex defectu anime. Irregularis est, qui ex defectu anime, 1. ob defectum usus rationis, perpetuo amentes, lunatici, arreptitii, epileptici. (Si reperiantur antea ordinati, & per annum eo morbo non laborant, permittuntur illis exercitium Ordinum, quia præsumuntur liberati. Si verò laborent raro, sine clamore, & notabili indecentia, permittuntur celebrare cum adjutore assistente, qui Sacrificium suppleat, si illi deficient.) Ita Ardekin in tom. 2. pag. 280. 2. Illiterati, qui scientia ad talem Ordinem requisita carent. 3. Neophyti, hoc est recenter ad fidem converti, donec judicio Episcopi sint sufficienter instructi.*

Sub hoc defectu comprehendi possunt Abstemi, qui namque vinum non bibunt, ut tales sint, ut illud bibere non possint sine periculo in celebratione, puta vomitus, &c. non debent ad Ordines promoveri: Unde antequam ad Ordines admittantur, debent super eo probari.

4427. *Ex defectu corporis irregulares sunt, 1. Cæcus, surdus, & similes ad Ordinis exercitium inepti. 2. Qui caret pollice, indice, aut oculo sinistro, seu Canonem non videt, qui tamen dispensatione non indiget, si oculo dextero sine indegentia Canonem legere possit. 3. Si alteri notabilis deformitas, ut quis Ordinem exercere, v. gr. Missam celebrare non valeat sine notabili indecentia, & aliorum risu, aut horrore, ut si careat naso, auribus, si sit notabiliter gibbosus, leprosus, si claudus, ut nequeat sine baculo ad Altare accedere. Si totali calvitio capitis, & oculorum labore, præsertim, si sit juvenis.*

Irregularis non est, qui sex digitos habet, aut aliquos conjunctos, si notabilem deformitatem non afferat, nec sit ineptus ad exercitium Ordinis. Busemb.

Universaliter quemlibet defectum corporis, qui non reddit patientem inhabilem ad Altaris ministerium, & exercitium Ordinis, vel qui affert ex se deformitatem notabilem, talem tamen, ut possit facilliter studio, & arte tegi, irregularitatem non inducere, docent Venerus in Exam. Episc., lib. cap. 22. num. 3. Diana part. 4. tract. 2. ref. 73. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 4. cap. 8. Leander de Paris, tract. 2. disp. 2. quia Sacri Canonem nihil aliud intendunt, nisi expellere ab altari notabiliter deformes, & inhabiles.

In dubio, Episcopi est judicare, an deformitas, vel defectus sit ita notabilis, ut irregularitatem inducat. Plura vide à num. 4490.

4428. 3. *Ex defectu natalium, irregulares sunt illegitimi, sive naturales sint, sive spurii. Filius naturalis est, qui est natus ex liberis. Spurius, qui est natus ex adulterio, incestu, aut sacrilegio. Filii naturales legitimi possunt ex jure. 1. Per subsequens matrimonium ratum inter eorum parentes, dummodo tempore conceptionis, aut nativitatis potuerint va-*

lide inter se nubere. 2. Per professionem in Ordine Religioso, per quam tamen legitimantur quoad Ordines, minime quoad dignitates, seu prælaturas, ad quas, nec intra, nec extra ordinem sine dispensatione promoveri possunt.

Hinc fit, quod filius ligati voti simplicis castitatis; aut Clerici in sacris non constituitur; vel Novitius, qui tamen voto sollemnium non emittit, legitimitur per subsequens matrimonium; quia ejus parentes tempore conceptionis, aut nativitatis poterant validè nubere, quamvis illicitè. Quod est verum, etiam si parentes nollent; quia non possunt efficaciam Sacramenti impedire.

Contra filius furiosus non legitimitur per subsequens matrimonium; quia ejus parens non poterat validè nubere. Idem dic, si ejus parentes ob aliquod impedimentum dirimens, non poterant tunc validè nubere. Mendo. verò. Filius.

Si filius conceptus, aut natus tempore, quo parentes poterant validè nubere, præmoriatur ad matrimonium subsequens, & relinquit filios, isti illius parentum nepotes legitimantur per subsequens matrimonium, Mendo cit. quia succedunt in jure Patris.

Sperellus decis. 17. num. 23. apud Matthæucci. tom. 2. pag. 142. num. 59. ait, quod filius natus post mortem viri decimo mense expleto, & undecimo per tres, aut quatuor dies incepto, computando à die, quo vir coire poterat, legitimus præsumitur.

Expositi. Infantes scilicet à parentibus clam pro jecti Hospitalibus, aut alibi, habendi sunt pro legitimis ex Jure Com. Canonico, & Civili, & ex Bulla Greg. XIV. anno 1591. Vide à num. 2046. & à num. 39.

4429. 4. *Ex defectu atatis, de quo in tom. 3. num. 21. & à num. 101.*

4430. 5. *Ex defectu Sacramenti, seu significationis matrimonii, ratione bigamie, quatenus bigamus, utpotè qui carnem suam divisit in plures uxores, non repræsentat perfectè unionem Christi cum Ecclesia.*

Bigamia est matrimonii multiplicatio. Est triplex, vera, interpretativa, & similitudinaria. Vera habetur, quando quis baptizatus plura matrimonium valida successivè contraxit, & consumavit, quia tunc verè carnem suam in plures divisit.

Interpretativa habetur, quando quis matrimonium validum contraxit, & consumavit cum viduali, vel cum violata ab alio, vel cognovit suam uxorem, quæ cum aliquo adulteravit; tunc enim ita se gerit, ut interpretetur quod plures uxores habuerit.

Similitudinaria habetur, quando quis constitutus in Sacris, aut in Religione professus matrimonium contrahit, & consumat cum quacumque etiam virgine; hic enim per verum solemne contrahit matrimonium spirituale, & similitudinarium cum Christo; unde matrimonium contrahens, & consumans evadit similis ei, qui carnem suam in plura-

plures dividit, hæc triplex bigamia ex jure irregularitatem inducit.

4431. 6. Ex defectu bonæ famæ, quando quis contrahit infamiam; quod dupliciter contingere potest. 1. Sine culpa ratione artis vilis, quam exercet, cui ex jure est annexa infamia; tales sunt hiltriones, circulatoris, mimi, comædi, filii publicæ meretricis, &c. 2. Ex delicto notorio, & publico, cui est annexa infamia, ut in num. 4419.

Damnati ad trimeses sunt infames; hinc ortum est vulgare dictum: à triribus ad altare non datur regressus. Lezana tom. 1. cap. 16. num. 32. Vide num. 4473.

4432. 7. Ex defectu libertatis irregulares sunt mancipia, Curiales, videlicet Judices, Advocati, Procuratores, Milites, Thefaurarii, Depositarii publici, Tutores, Curatores, dum actu talia munera secularia exercent.

4433. 8. Ex defectu lenitatis, seu mansuetudinis, quæ fuit in Christo, qui in mulierem in adulterio deprehensam mortis sententiam proferre noluit, & pro suis Crucifixoribus Patrem oraverit, aut mutilatione voluntaria in bello justo, aut iudicio.

Hinc irregulares sunt Judices sententiam sanguinis proferentes (Summo Pontifice excepto) mortis scilicet, aut mutilationis, Notarii eam scribentes, Accusatores, Testes, Advocati, Procuratores, Ministri Justitiæ, & omnes, qui ad mortem, vel mutilationem activè, efficaciter, & proximè, per actionem; ex natura sua ad eam ordinatam cooperantur, morte, aut mutilatione secuta. Judex autem, & alii Ministri hanc irregularitatem non incurruni, nisi cum ea faciunt, sint baptizati; nam si ea fecerint ante Baptismum, non consideratur in eis defectus lenitatis, cum tunc non fuerint membra Christi: Non requiritur autem, quod reus contra quem fertur sententia, sit baptizatus; quia defectus lenitatis consideratur in agente, unde ejusvis hominis mors, aut mutilatio irregularitatem inducit in Judice, & Ministro justitiæ baptizato. Leander de Censuris, tr. 2. dif. 7. q. 11. & 12. Ant. à Spir. S. in Censuris, tr. 2. dif. 5. sect. 6. s. 1. num. 104.

4434. Irregularis est Confessarius, qui licentiam urget ad mortem reo accelerandam, vel qui ipsum reum impellit, ut scelas ascendat, ut caput securi præbeat, vel qui Judici petenti in particulari respondet, hunc esse mortem plectendum.

4435. Item, qui patibulum adaptat, & qui signa fert ad comburendum hominem vivum; quia ista sunt actiones efficaciter, & proximè, & ex natura sua ordinatæ ad mortis executionem. Irregularis non est, qui ligna fert ad comburendum hominem jam suffocatum.

4436. E contra irregularis non est Confessarius, aut Theologus, qui interrogatus, an reus mortem mereatur, Judici respondeat: Non habendum esse respectum personarum, sed circa illum suo munere fungi

debere. Nec si carnifici dicat: Nemo te impedit tum facere officium, ego meum feci.

4437. Nec Confessarius, qui absolutionem denegat Judici nolenti secundum leges reum morte punire, si ad id sub mortali tenetur, dummodo tamen generaliter loquatur, ut poniat juxta leges, & uti in conscientia tenetur ob Republicæ bonum; quia hoc pacto directè nullus determinatæ personæ mortem consulit. Ita Matthæucci, tom. 2. pag. 137. num. 43. ex Cabasutio lib. 5. cap. 20. num. 17.

4438. Nec Clericus (ait Busemb.) qui in bello justo ad fortiter pugnandum, & hostem repellendum hortatur; secus, si ad hunc, vel illum in particulari occidendum. Sic pariter excusatur tympanista, & tibicen.

4439. Nec qui ligna funes, gladios, &c. confert, & licitori vendit; quia sunt actiones remotæ; aut non ex natura sua ad mortem ordinatæ.

4440. Irregularis est, qui militat in bello justo aggressivo, ex defectu lenitatis, ex cap. Cleric. & cap. Quicumque, quest. ultima. Dixi in bello justo; quia si erit injustum, irregularitas erit ex delicto, nempe ex homicidio voluntario.

4441. At in bello justo defensivo, laici, qui hostem invadentem, aut muros Urbis oppugnantem in Religionis, Patriæ, sui, & suorum defensionem occidunt, non sunt irregulares; quia est homicidium voluntarium ad defensionem cum moderamine inculpatae tutelæ; ut in num. 2095.

Clerici verò irregulares fiunt, si laici non deficiant, sed sufficiant. Gobat tr. 8. casu 17. sess. 2. append. 3. quia respectu eorum tunc non adest necessitas inevitabilis, & sic cessat moderamine inculpatae tutelæ. Non sunt autem irregulares, si laici deficiant, aut non sufficiant; quia tunc eorum actio est ad defensionem necessaria, & inde adest moderamine inculpatae tutelæ.

4442. Irregularitatem incurrit Chirurgus suæ artis imperitus, si ex ejus incisione, aut aduisione mors sequatur, cap. Tua nos, s. 1. Secus si sit peritus, & omnem diligentiam adhibuit, cap. De occidendis 23. q. 5. Nec Medicus physicus, si omnem diligentiam adhibuit, cap. Ad aures, de Aetate, & Qualitate. Tunc namque in Chirurgo (etiam si mors ex abscissione sequatur) non adest lenitas, cum ejus intentum sit abscondere partem, ut totum conservet. Vide num. 3426.

Sed hæc irregularitas ex Chirurgia, cum supponat imperitiam, propriè est irregularitas ex delicto, ut in num. 4425.

DE MUTILATIS,

4443. **O**portet distinguere cum Matthæucci, Offic. Curia, tom. 2. à num. 63. ad

66. Vel quis sponte se mutilavit, seu causam mutilationis procuravit; vel fuit ab alio mutilatus, sive casu, sive ex justa causa; puta infirmitatis, sive ex injulta vi, seu persecutione.

Si primum, evadit irregularis, nedum ex defectu, sed ex delicto mutilationis, ut in num. 4419. 7. Quia nemo est sui corporis, suorumque membrorum dominus, ita ut neque possit alicujus eorum abscissioni consentire nisi id totius corporis, aut membri principalis conservatio exposcat, cap. Si quis el terzo, dif. 55. neque in sua membra scire. Et iste ab ordinum exercitio removetur, etiam si mutilatio sit partis membri, cap. Si quis partem, dif. 55. Quia ut notat Glossa ad cap. Significavit, de Corp. visitatis. In hoc facto, non tam consideratur defectus, quam scævitas, & mala voluntas. Vide num. 4498.

4444. Eadem ratione in cap. Si quis il primo, dif. 55. decernitur, ut non fiat Clericus, qui sibi virilia amputavit, aut amputari permisit, etiam si causa continentia, aut Dei obsequii egerit, quoniam non ferro, sed Religione est querenda castitas. Glossa in cit. cap. Significavit. Ita Matthæucci cit.

Qui idem ampliat ad eum, qui se permittit castrari, ob vocem musicam. Hunc tamen non esse irregularem, docet Gobat in *Experientis*, tr. 8. casu 17. à n. 689. Quia relati Canones expresse loquuntur de eo, qui se castrari fecit, aut permisit ex sua culpa, videlicet ex indignatione, aut indiffereto castitatis zelo. Minime de eo, qui id agit ob vocem musicam; & probabile esse id licere, docent plures graves Doctores relati in n. 2073. Irregularitatem autem non incurri, nisi sit in jure expressa, dictum est in n. 4418. Probabilius tamen est, hunc esse irregularem, ait Leander de Poenis, tr. 2. dif. 2. quest. 57. quia verè, & voluntariè ad sui membri mutilationem sine necessitate concurrat.

4445. Hic autem, cui sunt amputata virilia, si dispensationem obtineat, ut promoveatur ad Ordines, non tenetur seum deferre testiculos in pulverem redactos, dum Missam celebrat. Leander cit. quest. 61. cum com. quia hoc nullo jure disponitur, sed est error vulgi.

4446. Si secundum, videlicet si sine sua culpa fuit ei membrum abscissum, non evadit irregularis, si membrum amissum non sit tale, ut usum Ordinis impediatur, aut notabilem deformitatem afferat: Tale non erit, si sint abscissa virilia: Tale erit pro Sacerdotio, si sit abscissum digitum necessarium ad Eucharistiæ fractionem; tunc autem irregularis erit ex defectu corporis, itaut si abscissio contingat ante assumptos Ordines Sacros, non possit ad illos promoveri; si contingat post Sacerdotium assumptum, non possit Missam celebrare; potest autem in aliis Ordinibus, & Officiis ministrare, pro quibus, nec impeditus, nec deformis est.

CLERICUS

4447. **N**ON potest esse Accusator in causa sanguinis, cap. Sicut Sacerdotes 2. q. 7. Nec testis, cap. Testimonium 1. q. 1. nisi ad innocentis liberationem, & ex sui Superioris licentia; alioquin irregularis evadit. Idem die de Religioso.

4448. Clericus jurisdictionem obtinens temporalem, non sit irregularis, si causam sanguinis alteri deleget, dummodo non mandet, ut illum morte puniat, sed illo injungat, ut inquirat veritatem, & provideat de justitia, in cap. Episcopus in 6. pag. mibi 123. à lib. 3. tit. 24. Nec Clerici, vel Monach. his verbis: Licet Clericus causas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cum jurisdictionem obtinent temporalem, debent, & possunt, metu irregularitatis cessante, aliis delegare. Et Gloss. ibi.

Hinc in Regno Siciliae, si in jurisdictione temporali præsideat Prælati Ecclesiastici; causa sanguinis occurrente, non utitur solito ritu: Excellentia sua provideat, & mandat, ut Titius suspendatur sed mutato, Excellentia sua provideat, & mandat, ut Tribunal M.R.C. inquirat veritatem; & provideat de justitia.

4449. Persona Ecclesiastica tradentes Curia Sæculari delinquentes refugiatos in suis Ecclesiis, in casibus expressis à Gregorio XIV. relatis à num. 638: in quibus immunitate non gaudent; nullam irregularitatem incurruni, aut censuram. Vide num. 690.

4450. Gubernator Urbis Romæ, & Ministri de ejus mandato executores in causa sanguinis, mortis, aut mutilationis irregularitatem non incurruni: Leo X. in Const. 8. *Etsi pro curiatarum*, s. 12.

4451. Clericus aliquem accusans in causa homicidii, aut alterius delicti, quod mortem aheretur, ut irregularitatem vitet, morte, aut mutilatione accusati secuta; debet prius protestationem præmittere, se non intendere, ut reus, p. tona sanguinis puniatur; sed solum, ut sibi, vel suis satisfiat, & provideatur; ne contra se, aut suos talia de cætero fieri præsumantur.

4452. Hanc protestationem requirit Canon cap. 2. de Homicidio in 6. ad defectum lenitatis purgandum: Et eam concedit uti privilegium Clericis, ne si Clerici (ait ipse textus) metu irregularitatis conquiri de suis malefactoribus non auderent, detur plerisque occasio eos tradendi; aut ipsorum bona depradandi, Bonac. Busemb. hic, Pirhing. in Comp. lib. 5. tit. 12. s. 2. Quæ protestatio, ut rectè advertit Matthæucci, tom. 2. pag. 137. num. 39. operatur, ut dicantur agere eviltiter, quia non accusant de crimine in ordine ad mortem, sed ad refectionem damni recepti, ac ad cautelam ne iterum ab eo, aut similibus malefactoribus damnus recipiant.

4453. Et sufficere, tenet Arauxo, tr. 1. q. 4. num. 10. etiam si tunc talis accusatio esset ficta respectu affectus efficacis interni mortis, est tamen vera, respectu affectus inefficacis interni; non mortis, & operationis efficacis externæ; quia talis protestatio operatur, ut accusatus non moriatur, aut mutiletur ex vi accusationis illius; quia ex vi illius ja n revera accusator protestatur, se non deponere querelam criminalem, sed civilem, uti supra.

Eadem

4454. Eadem ratione Clericus tradens Judici seculari, aut ejus Officiali furem, etiam cum signis ad eum convincendum, irregularitatem non incurrit, licet Officialis occidat, aut mutilet, si dictam protestationem præmittat. Fagnanus in lib. 5. cap. Ad audientiam 12. de Homicidio, ex cap. Tua nos, §. Ad ultimum, & cap. Postulasti.

JUDEX ECCLESIASTÆ. DEGRADANS

4455. Clericum morte dignum, & brachio seculari tradens, irregularis non est; quia per talem actionem non applicat reum positivè judicio mortis, quod utique esset principaliter, efficaciter, & proximè ad mortem cooperari; terminus enim talis actionis non est mors, sed solum exclusio à statu, & foro Clericali.

4456. Confirmatur: irregularitas namque hæc non incurritur, nisi per influxum physicum, aut moralem proximum in homicidium, aut mutilationem; in re autem nostra Judex Ecclesiasticus non dat jurisdictionem Judici laico in talem reum; quia ex se illum habet in Clericum degradatum. Nec inducit illum per se, & proximè ad pœnam sanguinis, nisi tan um remore, & valdè per accidens, quando illud de tali crimine convictum permittit, ut à brachio laicali capiatur, & judicetur.

4457. Urde (ut rectè advertit) Arauxo cit. num. 4. verbum illud traditio brachio seculari, nihil aliud est, quam remotio prohibentis, id est, privatio Clericalis privilegii in Clerico, & in laico dimissio, seu relaxatio personæ; quod declarat Innoc. III. in cap. Novimus, de Verb. signif.

4458. Ut Clericus, qui propter hoc, vel aliud flagitium grave, non solum damnabile, sed danosum, fuerit degradatus, tanquam exutus privilegio Clericali, seculari foro pro consequentiam applicetur; cum ab Ecclesia foro fuerit projectus, ejus est degradatio celebranda, seculari potestate præsentè ad pronunciandum eadem cum fuerit celebrata, ut in suum forum recipiat degradatum, & sic intelligitur traditio Curie Seculari, &c.

4459. Nec obstat, quod textus loquatur de Clerico; quia etiam ob identitatem rationis procedit de laico; nam sicut Judex Ecclesiasticus relaxando Clericum, non tribuit jurisdictionem Judici laico; quia hic ex se jurisdictionem habet in Clericum degradatum; ita potiori jure relaxando laicum; quia pariter judex laicus ex se jurisdictionem habet in illum.

4460. Attram, quia remissione, & relaxatione, live Clerici, live laici Judici seculari remotè, & per accidens occasionem præbet mortis, & sic videtur à lenitate Christi deficere, adhuc debet recentis protestationem præmittere, qua omnis defectus lenitatis (si quis sit) purgetur: liquet ex dicto cap. Novimus. per hæc verba: pro quo rament debet Ecclesia (videlicet Judex Ecclesiasticus) efficaciter intercedere, ut circa mortis periculum, circa cum sententia moderetur.

Ubi particula debet innuit, talem protestationem esse præceptam, idque ad majorem securitatem, & omne irregularitatis periculum amovendum. Ita Arauxo cit. num. 8.

4461. Ex dictis sequitur, quod Judex Ecclesiasticus, si completo processu, & data sententia, puta carceris, trirremium, &c. contra reum putatum Clericum, pro delicto, quod apud laicos morte puniatur, reperiat cum esse laicum, & causa non sit sui juris: tunc debet à judicio ille desistere, uti Judex incompetens, & suo legitimo Judici laico talem reum in suo judicio de delicto convictum, & confessum remittere, recentis protestatione præmissa, ex qua irregularitatem vitabit, si mors sequatur.

4462. Nec inde irregularis erit Clericus testis, quia de eo coram Judice Ecclesiastico testificasse reperitur. 1. Quia cum à Judice Ecclesiastico non agatur causa sanguinis, non dicitur testis in causa sanguinis. 2. Quia protestatio, purgando defectum lenitatis in Judice Ecclesiastico, reum per se convictum remittente, purgat totum actum; eo maxime, quia illius testificatio non influit in sententiam sanguinis postea à Judice laico latam; sicut namque coram Judice Ecclesiastico, minime coram Judice laico. 3. Quia Judex Ecclesiasticus, reum remittendo legitimo Judici laico, non remittit processum, taliter quod virtute illius ad mortem condemnent, sed novum format.

4463. Et dato, quod Judex Ecclesiasticus una cum persona processum remitteret, & virtute illius reum ad mortem damnet, solus Judex Ecclesiasticus, & non recentis testis, irregularis evaderet; quia solus Judex esset causa proxima, efficaciter influxiva in linea Ministri Justitiæ in mortem, minime testis; quia testis deposuit coram Judice Ecclesiastico, apud quem non agitur causa sanguinis: Quod autem postea ex remissione facta processus, testis illius depositio influxerit in mortem, per accidens se habet testis, & præter ejus intentionem; adeoque nullo pacto irregularis evadit.

4464. Inquisitores ex Privilegio Pauli IV. 29. April. 1557. ad favorem fidei concessio, & Consultores ex eodem Privilegio pro eis à S. Pio V. extenso, possunt absque prædicta protestatione, reos fidei per sententiam declaratoriam criminis condemnare, & brachio seculari tradere. Arauxo cit. & Anton. à Spir. S. de Censuris, tract. 12. disp. 5. sect. 6. num. 114. Qui addit, quod verum est, etiam Inquisitores insunt Judicem seculares, ut sententiam mortis contra hereticos exequatur; quia etiam ad id extenditur Pontificum Privilegium. Majorius lib. 2. de Irregularitate, cap. 10. n. 5. & alii communiter.

4465. Quia tamen quatuor quæstia, quæ proponit, & resolvit P. Tamb. in tom. 2. lib. 10. tract. 4. cap. 15. tria in §. 13. à num. 36. ad 41. & quartum in §. 10. num. 21. 41. valdè dicta firmant, & dilucidant, ea tibi refero.

PRI-

PRIMUM:

4466. An Episcopus possit sine irregularitate dare licentiam Judici laico exhibendi ab Ecclesia corpus occisi, ut conficit de corpore delicti, & ad formandum processum?

P. Diana part. 4. tract. 2. ref. 95. resolvit, ut sequitur: Respondet negativè Julius Laborius in suis variis Elucubracionibus, tit. 2. cap. 7. num. 31. quia ad incurrandam irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis requiritur, quod actus, qui fit, sit causa proxima, & directæ in mortem, vel mutilationem; non autem causa remota, ut ex Navarro, cap. 21. num. 211. & Avila de Censuris p. 7. disp. 5. sect. 2. docet Turrianus de Cens. lib. 9. disp. 66. dub. 3. Sed in nostro casu actus ostendendi cadaver occisi est remotissimus, & suapte natura non directus ad mortem, vel mutilationem, & Episcopus nihil operatur; sed tantum permittit exhumari corpus, & capi informationes: ergo, &c. & ita hanc sententiam præter Laborium docet etiam in terminis, ut dici solet, terminantibus doctus Aloysius Riccius in Praxi, tom. 1. ref. 453. & ita practicanam fuisse in Curia Archiepiscopali Neapolitana, testatur M. Antonius Genuentis in Praxi, cap. 42. num. 10. & ita etiam docet Venerus in Exam. Episc. lib. 2. cap. 23. num. 10.

4467. P. Tamb. cit. inquit: Possit sine metu irregularitatis dictam licentiam concedere, & ajunt nonnulli, ut Venerus in Exam. Episc. lib. 9. cap. 30. num. 26. Bonac. de Contr. d. 3. q. 21. q. 3. num. 11. Laborius Var. tom. 1. tit. 2. cap. 7. num. 31. & cap. 13. num. 57. Diana p. 4. tract. 2. ref. 95. alios citans, addunt aliqui debere. Ita Labor. loc. cit. Sed profectò, si petitur cadaver, ut constet de corpore delicti, vel ad inquirendum contra personam indeterminatam, quis scilicet delicti Author fuit, omnes consentiunt, posse Episcopum licentiam concedere, quia id solum esset quid remotum ad sententiam fortè mortis consecuturam. Ad difficultates virtut: an possit, quando cadaver requiritur, ut confirmetur suspicio, vel compleatur probatio contra aliquam personam peculiarem. Sunt v. gr. indicia contra Titium, petitur verò corpus Petri interempti, ut videatur, an vulnus datum conveniat cum gladio, quem Ministri invenerunt sanguine aspersum apud delinquentem, vel quid simile. Et nihilominus quamvis antiquiores putaverint, tunc non posse Episcopum licentiam concedere, nec concurrat proximè ad processum sententiæ sanguinis contra personam determinatam; tamen ex prædicta doctrina, quod irregularitas ex defectu lenitatis non incurritur, nisi à Ministris Justitiæ, sequitur, posse sine irregularitatis timore, quia totum, quod facit Episcopus, etiam positivè concedendo licentiam, non facit, ut Minister Justitiæ, puta, nec ut Accusator, nec ut Testis in judicio criminali, &c.

Est tamen notanda monitio Congregationis 22. Novemb. 1619. In Man. Episc. P. Sepair. in Addr. num. Cardinalium super negotia Episcoporum, quæ apud Gavantium sic habet: Non debet Episcopus dare licentiam exhibendi corpus ad hoc, ut laici sanant indicia in criminalibus.

4468. Quod irregularitas hæc ex defectu lenitatis non incurrat, nisi à Ministris Justitiæ, videlicet ab iis, qui ad deformationem, vel mutilationem hominis concurrunt instructi autoritate publica; tenet Gobat in Experimentis, tract. 8. casu 17. à num. 658. ad 660. quod firmat pluribus juribus, & Doctoribus. Matthæucci tom. 2. pag. 136. num. 35. ex cap. Aliquanos, dist. 51. Tales sunt Accusator, Testis, Advocatus, Notarius, Satellites, Liçtores, Carnifex, & similes; hi namque omnes, potestate à Magistratu accepta, ad deformationem concurrunt & sic autoritate publica. Hinc fit, ut testis inhabilis non sufficit, nec admittitur, sed repellitur.

SECUNDUM:

4469. Titius postquam renunciavit coram Episcopo Clericatum, delictum morte dignum commisit, & fuit à Judice laico comprehensus. An Episcopus à Judice laico requisitus, possit sine metu irregularitatis copiam talis renunciationis Clericatus illi præbere? Idem queritur de copia degradationis verbalis.

Diana cit. in fine subdit: Notandum est etiam hic, quod Gemenfis, ubi supra, testatur, in dicta Curia resolutum fuisse, posse concedi Curie Seculari copiam sententiæ depositionis, siue degradationis verbalis, & renunciationis habitus Clericalis alicujus Clerici inquisiti de homicidio in Curia Seculari, allegantis, se esse Clericum, & Curia Secularis negabat esse Clericum ob prædictam depositionem, & renunciationem: sed tu in suprascriptis cogita.

Super dictis Diana, P. Tamb. cit. prosequitur. Respondeo: Diana loc. cit. postquam vilis est affirmasse, quod possit, addit: sed tu cogita. Ego verò cogitarem, si prædictam hæctenus doctrinam nescirem, vel eam improbabilem judicarem. Nunc verò, cum videam, Episcopum, vel ejus Ministros tradendo copiam talis renunciationis, vel despositionis, non fungi munere Ministri Justitiæ Secularis, nec Accusatoris, nec Testis, in judicio, censeo, probabile esse, quod possint. Non ita esset, si traderent eidem Curie Seculari processum fortè ab ipso Episcopo factum de homicidio commisso à Clerico; illum enim processum cum fecerit Episcopus, ut Minister etiam ipse justitia, si deinde occideretur delinquens, concurrente quamvis solum ex parte ejusmodi processu, nequaquam ab ipso irregularitas evitaretur.

TERTIUM:

4470. An Judex Ecclesiasticus possit sine irregularitate metu Judici laico concedere quasdam epistolas apud reum inventas, quibus idem Judex Ecclesiasticus probaverat, dictum reum commisisse homicidium proditorum, adeoque immanitate non gaudere?

Resp. (ait Tamb. cit.) non posse. Ratio principalior est, quia Ecclesiasticus dare utiliter non potest has epistolas, nisi etiam det processum, seu partem processus, quo appareat, eas epistolas inventas esse

Hhh esse

esse apud reum: at omnes Doctores clamant, processum Judici Laico non posse dari ab Ecclesiastico, ut supra §. 10. num. 21. vidimus. Lege Taverdii p. 2. Q. Mor. tract. 1. & seq. qui latè hoc prosequitur, sed hujus nostræ solidæ rationis non meminit.

QUARTUM:

4471. An Judex proferens sententiam sanguinis contra delinquentem, incurrat irregularitatem, quando ad executionem mortis requiritur sententia alterius Judicis?

Resp. esse distinguendum: Si enim posterior Judicis sententia utatur processu, seu probationibus, seu sententia habita à priore Judice: quia tunc uterque concurrat ad mortem; uterque incurrit irregularitatem; si non utatur; liber erit prior Judex, & solus posterior in illam cadet; quia tunc prior Judex nullo modo concurrat ad mortem. Non est igitur audiendus Henriquez lib. 14. cap. 12. num. 5. cui adhæret Avil. de Censur. p. 7. d. 5. sect. 2. dub. 1. qui in hoc casu priorem Judicem liberat semper. Vide num. 4545.

IRREGULARITAS TOLLITUR

4472. Quatuor modis. Primò per Baptismum: per eum tolluntur irregularitates ex delicto, puta homicidii, mutilationis, &c.

Item ex defectu lenitatis, ut in num. 4433. Non tolluntur irregularitates ex defectu durante, uti sunt ex bigamia vera, & reali, ex infamia, ex defectu animæ, corporis, libertatis, &c.

4473. Secundò per cessationem causæ, seu defectum. Sic cessante infamia per publicam emendationem, aut defectu corporis, vel defectu ætatis, tollitur irregularitas. Et in obligato ad publica rationcinia, post rationes redditas, cessat irregularitas, seu impedimentum, ut promovetur ad Ordines.

4474. Tertio per Professionem Religiosam: sic cessat irregularitas natalium, quoad Ordines tamen; minime quoad dignitates, & Prælaturas. Vide n. 4484.

QUARTO PER DISPENSATIONEM.

4475. Papa potest in omnibus irregularitatibus dispensare: Com. quia irregularitas est de Jure Canonico, supra quod est Summus Pontifex, cum sit ejus legislator.

4476. Episcopus dispensare potest cum suis subditis, & in sua Diocesi in irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientes, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, supple tu, injusto non casuali, sed ex proposito patratu, ut in num. 3376.

Potest dispensare in irregularitate ex mutilatione occulta, quia hæc in jure non excipitur. Quid sit occultum, vide à num. 3317.

4477. Pro irregularitate ex hæresi occulta, dictum est à num. 3338. In irregularitatibus ex defectu, Episcopus solum in bigamia similitudinaria dispensare

potest, minime in vera, ex Declar. S. Congr. Conc. apud Fagnanum in lib. 1. Decr. cap. Quoniam 13. de Constit. num. 32. Non in interpretativa.

4478. Potest tamen dispensare cum illo, qui linguam Latinam parum callet. Item cum quovis illegitimo ad minores Ordines, & beneficium simplex, etiam si habeat annexum Curatum, ut docet Anton. à Spir. S. de Irregul. tract. 13. disp. 2. sect. 12. num. 131. cum Diana p. 9. tract. 2. ref. 86. & part. 4. tract. 2. ref. 62.

4479. Archiepiscopus non potest cum subditis Episcoporum suffraganeorum dispensare, nisi in actu appellationis; quia tunc sunt subditi ratione appellationis.

4480. Prælati Regulares possunt cum suis subditis dispensare in omni irregularitate, excepta ea, quæ oritur 1. Ex homicidio voluntario injusto, non casuali, sed ex proposito patratu. 2. Ex mutilatione pariter voluntaria, & injusta, ex proposito patratu. 3. Ex bigamia vera, & interpretativa. Unde possunt dispensare in similitudinaria. Constat ex juribus relatis à num. 3375. Et maxime ex verbis Bullæ Maris Magni Minorum Sixti IV. incip. Regimini. Quibus conceditur facultas

4481. Generali, & Provincialibus Ministris dicti Ordinis, pro tempore existentibus, & illum Vicariis dispensandi cum dicti Ordinis Minorum professoribus defectum natalium, ex adulterio, sacrilegio, incestu, aut quovis alio nefario, & illicito coitu provenientes, patientibus: nec non cum his, qui ex quavis causâ præterquam homicidii voluntarii, bigamiz, & mutilationis membrorum, irregulares forent, postquam Ordinem ipsum professi fuerint, ut defectu, & irregularitate hujusmodi non obstantibus, irregulares ipsi ad quoscumque, etiam ad sacros Ordines promoveri, & in illis, etiam in altaris ministerio, ministrare, & tam ipsi irregulares, quam defectum natalium patientes prædicti, ad quascumque administrationes, & officia dicti Ordinis, eligi, recipi, & assumi, illaque gerere, & exercere, libere valeant; motu, scientia, & autoritate prædicta concedimus.

4482. Idem conceditur in aliis Bullis Maris Magni Prædicatorum, & aliorum Mendicantium. Et quia ibi excipiuntur expressè aliquæ irregularitates, jam recensitæ, facultas ad dispensandum ampliatur in omnibus aliis; quoniam exceptio firmat regulam in non exceptis. Ant. à Spir. S. cit. num. 333. & seq. Leander de Pœnis, disp. 7. q. 135. Diana part. 4. tract. 2. ref. 69. & part. 1. tract. 12. ref. 12. cum pluribus, qui ob eandem rationem idem docent de irregularitate ex defectu lenitatis. Matthæucci in Offic. Curia, tom. 2. pag. 146.

4483. Excipiuntur irregularitates ex defectu animæ, & ex defectu corporis à num. 4426. recensitæ, defectu durante. Unde rectè ait Matthæucci cit. non posse Prælatos Regulares dispensare, cum suis subditis amentibus, furiosis, epilepticis, lunaticis, enec-

energumenis, enormiter leprosis, cum ablemis, deformiter gibbosis, notabiliter claudis, & Gallico morbo affectis; cum habentibus manus tremulas, ut sit effusionis periculum, cum omnino illiteratis, & similibus; hujusmodi enim non possunt, nec decenter, nec congruè altaris ministerio deservire. Vide num. 4426.

4484. Insuper quamvis in recensita Bulla Sixti IV. concedatur Prælati Regularibus, nimirum Generali, Provincialibus, eorumque Vicariis potestas dispensandi cum suis subditis, quovis modo illegitimis, non solum ad Ordines, verumetiam ad Prælaturas: quoad Prælaturas fuit restricta à Greg. XIV. per Bullam Circumspecta, hoc modo, ut talis dispensatio ad Prælaturas fieri non possit à Generali, vel Provinciali, nisi cum Capitulo Generali, vel Provinciali, seu intermedio Capitulo, videlicet cum Congregatione pariter Generali, aut Provinciali. Hæc sunt verba:

4485. Volumus quoque licere Generali, aut Provinciali singularum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat, juxta tenorem privilegiorum, & indultorum Apostolicorum eis concessorum, quæ dummodo usu recepta, nec aliàs sub ullis revocationibus comprehensa sint, ut præfertur, in hac parte revolvamus; cum illegitimis, quos aliàs dictus Generalis, aut Provincialis, cum Generali, Provinciali, seu intermedio Capitulo (& non aliàs) suffragantibus meritis, dignos judicaverint ad honores, gradus, & dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes hujusmodi pro tempore ita factas, & inde sequutas quascumque, ut antea, valere, & tenere, perinde, ac si supradictæ Consi. non emanassent.

4486. Addit Matthæucci in tom. 2. Offic. Curia, pag. 148. num. 80. semper excipi Generalatum, ad quem nullo pacto Religio cum illegitimis potest dispensare; idque colligit ex Consi. Romanus Pontifex Innoc. XII. edita super facultatibus Majoris Penitentiarum, & ex usu.

4487. Confessarii verò Regulares (quidquid ad favorem dicat Ant. à Spir. S. cit. num. 332. cum pluribus) nullo pacto valent cum secularibus super irregularitatibus, sive ex defectu, sive ex delicto dispensare, ut constat ex Bulla Clem. VIII. in num. 3464. relata, ubi expressè id prohibetur. Et multo minus possunt Confessarii seculares.

4488. Per Bullam Cruciatæ super nulla irregularitate potest dispensari. Com. quia per eam solum datur potestas ad absolvendum à Censuris.

4489. Commissarius verò Cruciatæ posse dispensare cum illegitimo habito ex matrimonio invalido ob impedimentum affinitatis ex copula illicita in primo, & secundo gradu: item in bigamia similitudinaria defectu lenitatis, & aliis; exceptis, quæ oriuntur ex homicidio directè voluntario, hæresi, apostasia à fide, simonia, & mala ordinum susceptione, tenent. Ant. à Spir. S. cit. num. 334.

citans Dianam part. 1. tract. 11. ref. 110. ad 115.

PRO DEFECTU CORPORIS,

4490. Est respectivè pro defectu animæ duo sunt attendenda.

Primum. Quod benignius sit agendum super defectu post Ordinem susceptum secuto. Communis. Unde Bonac. disp. 6. de Irregular. q. 2. p. 2. num. 25. & in Compendio, q. 2. de Irregul. ex defectu inquit Multi tamen defectus reddunt hominem inhabilem ad Ordines suscipiendos, qui si adveniant jam susceptis, non reddunt hominem inhabilem ad usum illum, ut amputatio pollicis, vel indicis in Sacerdote.

4491. Secundum. Quod defectus corporis, qualis esset amissio oculi dextræ, & quilibet alius, qui non reddit patientem inhabilem ad altaris ministerium, & exercitium Ordinis, vel qui affert deformitatem notabilem, talem tamen, ut possit faciliter tegi, irregularitatem non inducit, ut communitè docent Doctores. Venerus in Exam. Episc. lib. 1. cap. 22. num. 3. Diana part. 4. tract. 2. ref. 73. Bonacin. disp. 7. q. 2. p. 2. Gabriel à S. Vincentio de Censuris, disp. 11. q. 3. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 4. cap. 8. Leander, part. 5. de Pœnis, tract. 2. disp. 3.

Et innumeri alii; quorum fundamentum est, quia sacri Canones nihil aliud intendunt, nisi expellere ab altari notabiliter deformes, & inhabiles, & consequenter concedunt, quod in cunctis casibus, in quibus inhabilitas non habetur, & notabilis deformitas faciliter vitari potest, ac tegi, irregularitas cessat; quoniam cessante materia legis, cessat, & lex.

4492. Dicitis non opponitur Leander cit. quest. 43. & Villalobos tract. 1. diffic. 35. num. 11. asserentes irregularem eum, qui caret digito pollicis, vel indicis; quia id asserunt sub expressa suppositione, quod talis sit in habilis ad hostiæ elevationem, ac fractionem, ut patebit eos perlegenti.

4493. Sed potius dicta firmat textus Canonici, in cap. ult. de Corpore vitiatæ, his verbis: (Thomas Monachus proposuit, quod cum in annis puerilibus esset constitutus, quædam barra ferrea super dextere suæ pollicem fortuito casu cadens, unguam avulsit ab eo: Quocirca mandamus, quatenus si ad frangendum Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud Canonicum non obstat, propter deformitatem hujusmodi non dimittas, quin eum ad Ordinem prontoveas Sacerdotis.)

4494. Hinc cum casus contigerit, quod Sacerdoti fuerit casu abscissus pollex sinistræ manus, ipse tamen (ut examine, & experientia compertum fuit) juvenine indicis sinistræ manus, qui vice sinistræ pollicis, aptum famulatum præbatur; faciliter hostiam frangebat, & sine deformitate elevabat: sui voti, quod non esset à Sacerdotii usu removendus, & potiori jure. 1. Quia defectus erat in pollice sinistro, qui tantum famulatur dextro in quo virtus ad frangendum residet; & in casu Canonis defectus fuit in pollice dextro. 2. Quia in casu Canonis defectus

rus accidit ante Ordinis susceptionem; in meo autem contigit post susceptum Ordinem.

4495. Idem dicerem, si pollex fuisset abscissus vi sclopeti fracti in venatione à Sacerdote ipso, facta recreationis causa, & sine clamore.

4496. In hoc namque casu non potest dici, quod sit removendus à Sacerdotii usu, ut mutilator; qui cum digitus non sit membrum, ex num. 4423. qui illum abscidit, non est mutilator.

4497. Nec ex vi capitis: *Qui partem, dist. 55.* (Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens abscidit, hunc ad Clerum Canones non admittunt) quia textus expressè loquitur de volente abscindere, nos- ter autem Sacerdos, etsi dederit operam rei illicitæ, nempe venationi Clericis prohibita, quamvis volens venatus sit, pollicem haud abscidit volens, non directè, ut est certum, nec indirectè, cum non nisi per accidens, minimè per se, & regulariter sit ex venatione pollicis abscisso secuta, ut discuntur communiter Theologi de voluntario. Vide à num. 2124.

4498. Adde, textum per illud verbum *Volens*, loqui de inique abscindente, ut dixi in num. 4443. & ponderat Delbene *tract. 5. sect. 22. num. 8.* Venerus in *Exam. Episc. lib. 1. cap. 22. num. 2.* Et firmatur ex cap. 1. de *Cler. pugnans in Duello.*

4499. Dixi: *Etsi dederit operam rei illicitæ; quia illicitam esse Clerico venationem ferarum ob periculum, & indecentiam, licitam verò esse venationem avium, leporum, & similiarum, non clamorosam, sed modestam cum retibus, aut laqueis, & cum aliquibus canibus, recreationis causa, docent Venerus in *Exam. Episc. lib. 5. cap. 25. num. 2.* & Diana *p. 3. tract. 6. ref. 19.* Qui ait, illicitam esse Clerico venationem clamorosam, seu cum strepitu, & vocibus, ex cap. 1. de *Cler. venat. & cap. 2. eod. tit.* quam venationem clamorosam (addit) non esse mortalem, si non sit frequens, sed raro fiat.*

CASUS:

4500. **J**uvenis quidam Clericus Diocesis A, ab infantia totali Calvitio laborans, ac proinde Clericali coma alienis capillis consecratis sibi adaptatis, ab Episcopo Diocesis B. rei conscio (proprie ordinarii legitima facultate obtenta) Minibus suis initiatus. Tandem querit: An sit irregularis ex defectu corporis, ut ei præcludatur iter ad Ordines Sacros?

Quamvis Doctores de Irregularitate ex defectu corporis agendo, quamplura vitia enumerent, Calvitium totale regulariter silens; quandoquidem est vitium irregularitatem inducens non censeri, competentem esse debeat, si tantummodo sit quoad aliquam capitis partem, notabilem tamen deformitatem, & horrorem asserre, præsertim in juvene, si totale sit, quis non videt?

4501. Nihilominus dicerem, calvitium, etiam totale, & in juvene nullum horrorem asserre, cum asserri sinus juvene homines incedere solitos omnino sine capillis, quales sunt Mahumetani, damnati

triremibus, & alii multi, qui nec horrorem nobis asserunt, nec ad risum nos provocant.

Id inquam dicerem, ni exemplum utpotè à Gentibus, & hominibus perditis, aut infamæ plebis desumptum valde ineptum redderetur viris sacris altari- bus deputandis; cum in *cap. Illiteratos, dist. 36.* dicitur: vitiosum nihil Deo proflus offerri legalia præcepta sanxerunt.

4502. Adde, valde dispar esse exemplum, quoniam allati homines, quos omnino sine capillis inspicimus, cum sua capita abradant, capillorum pilorumque vestigia ostendant; & idèd non inducunt horrorem; non ita præfatus juvenis, quem capite proflus mundo supponimus: Et hac ratione rejicitur Religiosum exemplum, quod à nonnullis Monachis possit desumi, in qua re non præteram, Ecclesiam arte velles in Monachis ad honorem, quod humana malitia in Petri capite voluit ad opprobrium.

Et iterum adde, nos non esse assuetos sic mundo capite cernere Sæculares Clericos juvenes, & quidem eos altaribus ministrare non intueremur sine risu, aut horrore.

Quapropter sacris rationabilis habenda est difficultas novissimè mota. An præfatus Clericus irregularis censendus sit? Pro cuius resolutione quid sentiam requisitus,

4503. Dico, præfatum Clericum irregularem non esse ex defectu corporis, ac proinde non esse ei præclusum iter ad Ordines sacros. Colligitur ex Canonibus citandis, & ex communi Theologorum doctrina.

Ratio est, quia nullum adest caput irregularitatis ex defectu corporis: Ostenditur sic discurrendos irregularitatis enim ex defectu corporis, juxta communem Doctorum, ex triplici capite potest oriri. Primo ex defectu sexus virilis. Secundo ex defectu membrorum, aut salutis corporalis, tali, ut reddat inhabilem ad ministrandum altari. Tertio ex defectu inducente notabilem deformitatem, aut horrorem: Dixi *notabilem*, quia si deformitas sit modica, irregularitatem non inducere, pro certo docet communis, ex *cap. Tua nos, de Clericorum agratione*, & in toto titulo *de Corpore vitiatis*.

4504. In re autem nostra ex nullo de dictis capitibus irregularitatis oritur; non quidem ex primo, ut supponimus, nec ex secundo, quia membrum est pars corporis, quæ officium per se distinctum habet à cæteris, ut oculi, nares, &c. capilli autem, supercilia, &c. cum solum sint ad ornamentum corporis, & nullam operationem per se distinctam habeant, pro certo membra non sunt, ac proinde, nec mutilationis materia, ut docent cum communi Doctores citandi; neque patientem inhabilem reddunt ad exercitium Ordinum, & ministerium altaris. Vide num. 4423.

4505. Nec tandem ex tertio; quia deformitas, quæ ex capillorum defectu oriretur, facillimè potest vitari per usum comæ clericalis consecræ, uti ea

allatus juvenis vitatur, ac proinde non est censenda notabilis, & irregularitatem inducens.

Hæc illatio præterquam sit clara, demonstratur à fortiori ex communi Doctorum doctrina.

4506. Et primò: Carens oculo, irregularis est; si autem notabilis deformitas non appareat, vel si appareat, per artem sufficienter tegatur, irregularis non est. Leander *p. 5. de Pœnis Eccl. tract. 2. dist. 2. & in Comp. fol. 697. num. 1.* Tamb. *tom. 2. lib. 10. tract. 4. cap. 8. s. 1. num. 2.* & apud ipsium, Navar. Hurt. Suar. Præp. Laymân.

4507. Secundo: Carens auriculis: Quia earum defectus valde faciem deturpat, irregularis est; si tamen capillis faciem occultari possit defectus, irregularis non est. Leand. *cit. & in Comp. num. 3.* Tamb. *cit. num. 8.* Gabriel à S. Vine. *de Conjuris, dist. 11. q. 3. num. 82.* Bonac. *dist. 7. q. 2. p. 2. num. 8.* Diana *part. 4. tract. 2. ref. 73. & in Summa, ver. Irregularitas ex defectu num. 19.* & alii multi, apud ipsos.

4508. Tertio: Carens naso, vel illius parte irregularis est se est; quia quæ exigua deformitas est in cæteris membris, magis conspicua est in naso; si tamen alicujus artis ope, carne, vel forma carnem imitante, indecoros non appareat, irregularitatem effugiet. Ita Tamb. *cit. num. 19.* qui idem vult, esse dicendum de cicatrice, vel simili existente in vultu, aut gutture. Ita etiam Leander *cit. & in Comp. num. 6.* Gabr. à S. Vine. *cit. num. 75.*

4509. Quarto: Claudus, si sine baculo ambulare non potest, irregularis est; si tamen sine baculo potest ad altare accedere, irregularis non est; similiter habens pedem, aut crus ligneum, vel crura valde distorta, & pariter pedes, irregularis est; & tamen irregularis non est, si vestium oblongarum usu deformitatem tegere possit. Ita Leander *cit. in Comp. num. 8.* Tamb. *cit. num. 17. & seq.* Gabr. à S. Vine. *cit. num. 82. & 83.* & alii multi apud ipsos.

4510. Idem docent de illis, qui carent unguibus, & universaliter in omnibus casibus, in quibus deformitas notabilis vitari potest, & tegi; quoniam ratio est eadem de num. 4495. Et hac causa Doctores quamvis sint solliciti in numerandis quampluribus ejusmodi defectibus, defectum totalem capillorum regulariter silent; quia nimirum ex aliis resolutionibus, clarè patet, quid sit dicendum.

4511. Cum igitur in nostro casu deformitas facilliter tegatur usu præfate comæ clericalis, nulla exinde existimari debet irregularitas. Nec officit si in superciliis desint pilis, quia parum pro nihilo reputatur, & in hac materia etiam locum habet parvitas.

4512. Neque huic resolutioni adversatur Alarius *lib. 6. Canonum Consi. fol. 657.* ex *Sacro lib. 6. cap. 9. num. 6.* hæc habens. Item (supple tu, irregularitas inducitur) si capilli capitis, & barbæ in totum exiderint, si id contigit ex lascivia, & libidine, cum hujusmodi sint infamæ: non adversatur inquam. Primò; quia intelligi debet, quando deformitas non tegatur, ut liquet ex dictis. Secundo,

quia solum ex capite Infamæ irregularitatem arguit (& sic non sumus in casu) minimè ex capite deformitatis, & ritè, quoniam hæc potest tegi.

4513. Meam resolutionem, meamque rationem firmat autoritas proprii Episcopi, qui rei conscio, adhuc præfatum juvenem, etiam litteris dimissorialibus sui proprii Ordinarii munitum, irregularem non judicavit, sed ad minores promovit; & non ex alio motivo (ut credere oportet) nisi ex præfato prædictis casibus solidato.

4514. Adde, quod si totalis capillorum defectus allatum juvenem à minoribus Ordinibus non impedivit, nec cum impedire debeat à Sacris. Ratio est, quia defectus illi, qui notabilem deformitatem asserunt, irregularitatem inducunt, etiam quoad minores Ordines, & statum Clericalem. Ita expressè habetur, *cap. Si quis, cap. Ali qui, cap. Eunuchus, cap. Qui partem, dist. 55. & cap. Illiteratos, dist. 36.* id etiam docent Gabr. à S. Vine. *cit. num. 67. & 74.* & Tamb. *cit. cap. 7. num. 3.*

4515. In plura protenderem, ni citati Doctores ex Canonico jure moti, præsertim ex *Clem. Si furiosus, de Homicidio, cum Panorm. in cap. 1. de Corpore vitiatis; & in cap. 1. & 3. de Cleric. agr.* mihi silentium indicerent; in casu dubio, Episcopi esse judicare, & decernere, an defectus, vel deformitas sit ita notabilis, ut irregularitatem inducat.

DE DEPOSITIONE, ET DEGRADAT.

4516. **D**epositio est pœna, qua Clericus Beneficio, aut usu Ordinis, vel utroque perpetuò privatur.

4517. Degradatio est pœna; qua Clericus non solum Beneficio, & usu Ordinum perpetuò privatur, verum etiam extra statum Clericorum ejicitur, & Clericalibus privilegiis per solemnem sententiam, & certis solemnitatibus sine spe restitutionis exiit. Hac definitio est degradationis completa, prout verba- lem, & realem degradationem complectitur.

4518. Degradatio enim est duplex, verbalis, & realis, seu actualis. Verbalis est ipsa Judicis Sententia, qua Clericus munerum, & privilegiorum Clericalium perpetua amissione, sine spe restitutionis ponitur.

4519. Degradatio realis, seu actualis, & solemnis est ipsa executio sententiæ, & est perpetua, & actualis privatio muneris, & privilegii Clericalis, post sententiam effecta, adjuncta reali actione, & cœremonia per Canones instituta.

Degradatio verbalis dicitur depositio, quia adhuc sic degradatus gaudet privilegio fori, & Canonis, ita ut non possit à Judice laico puniri, nec sine excommunicatione percuti. Per degradationem verò realem, & actualem utrumque privilegium amittit, ita ut possit à laico puniri, & sine excommunicatione percuti.

4520. Degradatio verbalis dicitur resp. activa, quatenus est ordinata ad realem, & actualem.

4521. Censura, Depositio, & Degradatio conveniunt in hoc, quod qualibet est privatio spiritualis muneris, & quod proinde soli Clerico conveniat.

4522. Differunt verò; quia censura est poena medicinalis inflicta ad contumaciam coercendam; unde non est ex sui natura perpetua, sed infligi solet ad tempus, intendens resipiscentiam, satisfactioem præstita. Et si est perpetua, potest per absolutionem, aut dispensationem tolli ab eo, qui illam infligit.

4523. Depositio verò est pura poena, de sua natura perpetua. Sic pariter est degradatio actualis, & realis, quæ tamen à degradatione verbalis differt, in hoc, quod privet non solum usum Ordinis, & Beneficij, sed etiam omni privilegio Clericali fori, & Canonis, non sic verbalis, ut in *num. 4519.*

4524. Degradatio verbalis fieri potest in absentem. Realis verò non nisi in præsentem.

4525. Item realiter degradatus non potest in integrum restitui, nisi à solo Papa. Verbaliter degradatus potest restitui per Episcopum, si degradatio fuit ob delicta non graviora adulterio. *Cap. At si Clerici, §. de Adulteris.*

4526. Graviora adulterio dicuntur hæresis, simonia, homicidium. Pignatellus *tom. 8. consult. 91. num. 16. Clericus cit. 153. num. 17.*

4527. Degradatio realis non tollit caracterem, quia est indelebilis; unde sic degradatus tenetur ad votum castitatis. Item ad horas, si poena, ad quam damnatus est, non impediatur; uti potest esse damnatus ad trirèmes.

4528. Clerici autem condemnati ad trirèmes non sunt prius realiter degradandi, ex consuetudine, & pluribus Decretis S. Congr. Pignatellus *cit. num. 4. & 5.* nisi essent damnati propter hæresim, ex *cap. 1. Her. in 6. ubi.* Glossa. Unde degradatio realis non infligitur, nisi in casibus, in quibus Clericus est Curia seculari tradendus, & in quibus ab ea poena mortis afficitur.

4529. Prælati Regulares non possunt suos subditos degradare. Unde Episcopi est eorum causam degradationis cognoscere. Clericus *cit. num. 15.*

SOLEMN. DEGRADATIONIS VERB.

4530. **P**ræscribitur in *cap. 2. de Poenis in 6.* Proprius Episcopus, assistentibus sibi aliis sex Episcopis in condemnatione Presbyteri, tribus autem in condemnatione Diaconi, vel Subdiaconi, coram his tanquam Assessoribus, & iustitiam causæ cognoscentibus, sententiam in criminis pronunciet.

In *cap. Si quis Episcopus, causa 15. quest. 7.* Episcopus Sacerdotibus, ac Ministris solum honorem dare potest, sed solus auferre non potest. Si enim hi, qui in hoc sæculo à Dominis suis honorem libertatis adepti sunt, in servitutis jugum non revocantur, nisi publicè apud Prætores, ac Præsides Tribunalis foro fuerint accusati; quanto magis hi, qui divinis altari-

bus consecrati, honore Ecclesiastico decorantur! Profecto, qui nec ab uno damnari, nec uno iudicante, poterunt honoris sui privilegio exui, sed præsentem Synodali iudicio, quod Canon de illis præceperit, oportet desiniri. Idem in *cap. Felix, ibid. & in cap. Non potest, de Sent. & Re iudicata.*

4531. Ob difficultatem autem congregandi Episcopos absentes à propriis Ecclesiis, & ne debita juris executio contra Clericos criminolos differatur, Conc. Trid. *sess. 13. cap. 4. de Reform.*

Edidit Decretum tenoris sequentis: Cum verò tam gravia nonnumquam sint delicta, ab Ecclesiasticis commissa personis, ut ob eorum atrocitatem è facis Ordinibus deponendæ, & Curia sint tradendæ seculari; in quo secundum sacros Canones certus Episcoporum numerus requiritur, quos si omnes adhibere difficile esset, debita juris executio differretur; si quidem autem intervenire possunt, eorum residentia intermitteretur; propterea statuit, & decrevit, Episcopo per se, seu illius Vicario in spiritualibus generalem, contra Clericum, in sacris etiam Presbyteratus Ordinibus constitutum, etiam ad illius condemnationem, necnon verbalem depositionem; & per seipsum, etiam ad actuale, atque solemne degradationem ab ipsius Ordinibus, & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum Episcoporum præsentia in numero à Canonibus definita, requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen, & in hoc sibi assistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ, & baculi ex Privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aut Diocesi reperiri, & commode interesse possint: alioquin aliis personis, in Ecclesiastica Dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

4532. Ubi nota, Episcopum ad verbalem degradationem, seu sententiam posse per se, vel per suum Vicarium Generalem procedere; quia est actus jurisdictionis, ad quem non est necessaria potestas Ordinis, ut à *num. 4386.* sed jurisdictionis, & Vicarius Generalis quoad jurisdictionem facit unum, & idem Tribunal cum Episcopo. Actuale verò, seu solemne actum degradationis exercere non potest, nisi Episcopus consecratus proprius, vel alius Episcopus consecratus de proprii commissione; quia est actus Ordinis Episcopalis. Joan. Dicaillio de *Conferis, tract. 10. dub. 1. num. 17. & com. ex cap. Transmissis, & Panor. in cap. Non potest, de Sent. & Re iudic. n. 3.*

4533. Praxim deinde dat Pontificale Romanum sub Urban. VIII. reformatum in pag. mihi 204. per hæc verba: *In examine, & in desinatione requiritur numerus trium Episcoporum (supple tu) in degradatione Presbyteri, &c. Dicitur autem sententia depositionis ab Ordine, si intenditur, ut post eam sequatur actualis degradatio, nomine Episcopi Ordinarii, cum presentia Capituli.* (Supple tu) in causa Clerici in Minoribus *sive cum Consilio, & assensu Episcoporum.* (Supple tu) in causa Presbyteri, vel Clerici in Sacris, *in hunc modum: Quia nobis, &c. Idcirco de ta-*

lium consilio, & assensu ab omni Ordine, & privilegio Clericali sententialiter te perpetuo duximus deponendum, & deponimus, &c.

4534. Summatim igitur: ad degradationem Episcopi intervenire debent duodecim Episcopi. Ad degradationem Sacerdotis proprius Episcopus cum aliis sex, Diaconi, aut Subdiaconi cum aliis tribus. Pro degradatione verò Clerici in Minoribus solus Episcopus cum præsentia Capituli, seu quorundam de Clero representantium Capitulum. *Glossa in cit. cap. 2. de Poenis in 6.* Numerus verò sex, aut trium Episcoporum, ex Trid. relato, suppleri potest per totidem insulatos Abbates, & in eorum defectum per alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant.

4535. Difficultas tamen est de qualitate, sub qua alii Episcopi, seu Abbates ad degradationem requirantur. In qua re due sunt præcipue opiniones.

Prima docet, eos requiri ad degradationem verbalem, ad recognitionem scilicet causæ, & sententiam; ut collegas, & conjudices cum voto decisivo; non requiri autem ad actum solemnitatis. Suarez de *Conferis, disp. 30. sect. 2. num. 19.* Joan. Dicaillio de *Conferis, tract. 10. dub. 1.* Genuensis in *Præcibilib. Eccles. quest. 730.* Clericus *cap. 153. num. 11.* Sylvester in *Sum. verb. Degradatio.* Toletus *ibid.* Antonellus de *Regimine Eccles. lib. 6. cap. 3. num. 2. 5. & 6.* Anton. à Spir. S. de *Conferis, tract. 13. disp. 4. sect. 2.* Caltrop. de *Conferis, & alii apud ipsos.* Item Bonac. *tom. 1. disp. 5. punct. unic. num. 13.* Qui fundantur in recentibus iuribus.

Bonac. tamen vult, eos etiam requiri ad actum solemnitatis. At quantum ad actum solemnitatis, eos non requiri, docet, ultra recentissimos Doctores novissimè Phœbeus in *Iustit. Canon. lib. 8. tit. 18. pag. 621. num. 7.* Et expressè inuit Pontificale Rom. *cit.*

4536. Secunda opinio tenet, eos requiri solum ad actum solemnitatis, nimirè ut conjudices ad degradationem verbalem, scilicet ad causæ cognitionem, & sententiam. Fagnan. in *lib. 3. Decretalium, cap. Aqua, de Consecr. Eccles. vel Altaris, à num. 29. ad 32.* Qui refert pro hac opinione Declarationem Sac. Cong. ob quam hanc opinionem sequuntur Aldrete, & Passerinus.

Verba Fagnani sunt, ut sequitur: Appellatione autem personarum Ecclesiasticarum, de quibus Concilium loquitur, Prælatos Regularium Mendicantium non comprehendi, dixit Sac. Congregatio, cum non habeant nomen dignitatis: Et Abbates non debere interesse examinationi, vel processui, sed tantum posse solemnem, & actuali degradationi assistere, ut Assesores; & posse Ordinarium alias personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, etiam non dicecianas adhibere.

Opiniones tantum mihi sufficiat retulisse, solum ne operi hæc notitia desit.

4537. Illud certum est, causam hæresis esse privilegiam, & casum hæresis exceptum, ex *cap. Quoniam 1. de Hæreticis in 6.* Ubi degradatio verbalis committitur folis Inquisitoribus, aut proprio Episcopo. In causa inquam hæresis, ad favorem fidei solus Episcopus; & in locis S. Officij soli Inquisitores una cum Ordinario ad sententiam, & verba-lem degradationem procedunt. Hæretici verò solemnem degradationem spectant ad Episcopum, ut in *n. 4532.*

DECLARATIO SAC. CONG.

Quam refert Fagnan. nullam habet vim. 1. Quia non constat authenticè, uti requiritur ex Decret. Sac. Congreg. Conc. jussu Urban. VIII. ut in *num. 219. 2.* Quia neque exprimitur, an sit edita, Papa consulto, uti requiritur, ut haberet vim legis, ex *num. 215.* Unde in causa tam gravi, quanta est causa degradationis, & traditionis Sacerdotis Tribunali seculari ad mortem, non est standum tam infirmæ relationi.

Gratis autem ea data, adhuc potest cum nostra resolutione componi; ait enim: *Abbates non debere interesse examinationi, vel processui,* videlicet examinationi testium, & rei, ac confessioni processui, cui quidem neque proprius Episcopus solet interesse, sed ea committit agenda Ministris de sui commissione, uti solet etiam à Judicibus laicis servari; confecto autem à Commissario examine testium, ac rei, & completo processu, tunc Judices illi examinant, ac recognoscunt super qualitate delicti, & probationibus, & inde ad sententiam deveniunt; uti innuit Pontificale Rom.

Insuper ait: *Sed tantum posse solemnem, & actuali degradationi assistere, uti Assesores.* Ubi pro solemnem degradationem accipitur verbalis degradatio, & prolatio sententiæ, quæ pluries solet dici solemnem degradationem; nam degradatio verbalis, & respectiva, quæ scilicet ad degradationem à Judice ordinatur, & ipsa degradatio actualis, & realis se habent sicut sententia, & ejus executio. Arauxo *tract. 1. q. 4. num. 13.*

Quod roboratur per particulam, ut *Assesores, quæ non importat puram assistentiam actui solemnitatis, sed consilium, aut votum in causa.* Quæ Decl. intelligentia est rationalis, tam ob exposita, quam quia *correctio juris est vitanda, quantum fieri potest,* quoniam *jura iuribus concordare oportet.* Cæterum contra eam validam dat præsumptionem: 1. Pontificale Rom. quod fuit reformatum ab Urb. VIII. qui sciebat dispositionem Trid. & alias, si quæ erant, & tamen disposuit, uti supra. Secundo verbum *illud posse, quod significat libertatem assistentiæ, minimè necessitatem, & sic Abbates liberè possent non assistere, quod esse falsum, satis liquet ex dictis.* Et quo solidus formatur discursus: Certum est, Abbates necessarios requiri, ex jam ostensis; sed non requiruntur ad actum solemnitatis, seu actuale degradationem, ut jam constat ex *num. 4535.* igitur requiruntur ad

verbalem degradationem. Denique ex prop. 2. ab Inn. XI. damnata, hæc sententia est à Judice omnino amplectenda, cum sit probabilior ob motiva, tam intrinseca, quam extrinseca communis sequela Doctorem, & tunc, quatenus non exponit periculo nullitatis sententia, in causa, & materia tam gravi. Vide n. 108.

Forma, & solemnitas actualis degradationis

4538. **H**abetur in c. 2. de Pœnis in 6. Constructo eminenti talamo ligneo extra Ecclesiam; ibi Episcopus cum suis assistentibus sedet, ibique aptatur mensa cum sacris vestibus, & instrumentis Ordinum, quibus reus induitur; sicque indutus cum vase, seu libro ad suum Ordinem spectante, coram Episcopo comparet: inde ab eodem coram populo dicitur vestibus, & insignibus spoliatur, Ordine prapostero, incipiendo scilicet ab ornamento, quod in susceptione Ordinum fuit ultimum; utendo in singulis spoliationibus verbis horrores, oppositis eis; quæ in collatione Ordinis proferuntur; v. gr. in remotione casula: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore Sacerdotali privamus.* In remotione verò ultimi instrumenti, quod in Ordine susceptione fuit primum, dicitur: *Autharitate Dei Omnipotentis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, ac nostra, tibi auferimus habitum clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus, & eximus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali.* Non solum aptem spoliatur vestibus, & insignibus Ordinum, sed etiam veste talari, aut habitu Religioso. Insuper raditur in capite; & si est Sacerdos, in manibus; idque ad terrorem tantæ condemnationis. Sic expoliatus signo calcei repellitur, & inde traditur, ac relaxatur Judici seculari, ut ejus jurisdictioni, tanquam purè laicius subdatur. Inde per satellites ad Curiam seculari carceres ducitur ultimo supplicio plectendus; Episcopus tamen à Judice seculari petit, ut misericorditer agat, & reum citra mortis, vel mutilationis poenam puniat. Arauxo tract. 1. q. 4. n. 15. Clericus cap. 153. num. 13.

Crimina, ob quæ Clericus est degradandus, & relaxandus, 4539. **J**ure Canonico sunt tria. 1. Crimen hæresis manifestum. Cap. Ad abolendam, cap. Excommunicamus, de Hæret. c. 1. eod. tit. in 6. Requiritur, quod reus sit relapsus, vel negativus, seu impenitens, convictus tamen per legitimos testes, etiam super credulitate, & pertinacia.

4540. Secundum est falsificatio Litterarum Papalium, cap. Ad falsarium, de Crimine falsi.

4541. Tertium est gravis calumnia proprio Episcopo illata, cap. Si quis Sacerdotem 17. 11. q. 1. Requiritur incorrigibilitas. Gloss. in cap. Cum non ab homine 10. de Judic. Abbas cap. At si Clerici, n. 37. eod. tit. Suar. de Cens. disp. 30. sect. 2. n. 4. Dicant. de Cens. tract. 10. dub. 2. n. 24. Qui addit, hoc esse commune omni crimini enormi, aliquo in Laicis mortis poena digno, ut à n. 781. ad 790.

4542. Ex Constitutionibus Pontificiis adduntur. 1. Sodomia frequentata: S. Pius V. Conf. 72. Horrendum illud. 2. Clericus non Sacerdos Missam celebrans,

aut Confessiones audiens, & absolvens. Clem. VIII. Conf. 81. Esi alias. 3. Solicitans in confessione mulieres ad turpia gravitate excessiva. Greg. XV. Conf. 34. Universi. 4. Monetari, vel monetas ton dentes, aut falsificantes intra Italiam, Urb. VIII. In suprema, ann. 1627. ut in n. 790. 5. Copulam sacrilegam, & frequentem cum Moniali habens. Pign. tom. 8. conf. 91. n. 7. Sed attendenda est praxis, nam in pluribus nempe in 2. & 3. casu praxis est contraria.

4543. Denique Phœb. lib. 4. tit. 18. habet. Generaliter omne crimen enorme, quod sit dignum poena mortis in laico, ubi per. Ecclesiasticas poenas corrigi non possit, satis esse, ut Clericus propter illud seculari potestati tradatur. Colligitur ex cit. cap. Cum non ab homine 10. de Jud. & notat Panor. in cit. cap. At si Clerici 4. eod. n. 30. & seq. Laym. in cit. cap. 5. n. 6. alique apud ipsum.

4544. Idem habet Joan. Dicant. tr. 10. disp. 6. dub. 2. n. 25. Universaliter loquendo sive de jure, sive de consuetudine, docent non pauci authores, degradari posse ob aliud crimen nimis enorme, atque Reipublicæ valde perniciosum, tradique Magistratui seculari. Ita Panorm. cap. At si Clerici, n. 39. & cap. Cum non ab homine, n. 6. de Jud. Sylv. ver. Degradatio, q. 2. Tolet. supr. cap. 6. Tertia est. Avila cir. dub. 9. Molin. disp. illa 49. Exemplum adhibent in homicidio non simplici, sed qualificato, ut constat ex eod. cap. Cum non ab homine. Unde Parricidium, vel simile quid tali poena dignum est. Item furtum non simplex, sed valde qualificatum, ac sacrilegum; nam cum pro his criminibus Ecclesia non habeat condignam poenam, merito reus Judici seculari remittitur.

4545. Demum n. 30. subdit: Pro praxi est maxime notandum, Magistratum secularem in causa criminis merè Ecclesiastici, v. gr. in causa hæresis, non posse cognoscere, & judicare de tali crimine; sed tantum secundum latam declarationem sententiam à Judice Ecclesiastico. exequi juxta cap. Ut Inquisitionis, §. Prohibemus, de Hæret. in 6. In crimine verò non merè Ecclesiastico, potest petere à Judice Ecclesiastico processum, ut illius justitiam cognoscat, & examinet, & deinde reum sibi traditum, sique fore effectum puniat. Ita Panorm. cap. 1. n. 12. de Offic. Ordin. Sed quantum ad hoc, omnino vide dicta à n. 4451. ad 4470. maxime à n. 4469. & seq. quibus me remitto, & adhæreo. De Irregularitate, & Pœnis fuscè agunt Fagnan. lib. 5. cap. Ad audientiam, de Homic. Phœbeus in Inst. Canon. tit. 18. & 19. & alibi sub propriis titulis. Maltr. disp. 13. quest. 5. Leand. tom. 5. de Pœni. Tamb. tom. 2. lib. 10. tract. 4. Gobat in Experimentis, tract. 8. & pluribus in locis. Joan. de Castill. de Cens. disp. 6. & 7. Anton. à Spir. S. de Cens. & Pœni. tract. 13. Matthæus. in Offic. Curie, tom. 2. cap. 8. à pag. 117. Mend. in suis titulis.



TOMUS SECUNDUS, EXAMEN CONFESSARIORUM, DE DENUNCIATIONIBUS.

PARS PRIMA,

DE DENUNCIATIONIBUS FACIENDIS AD MONITORIA Papæ, & Episcoporum.

CAPUT I.

DE SUPERIORIBUS, QUI POSSUNT MONITORIA EDERE.

1. **D**E Summo Pontifice nulla est difficultas.

Quantum ad alios, soli Episcopi, ex Trid. sess. 25. de Reform. cap. 3. possunt monitoria, seu edicta edere pro rebus, aut scripturis deperditis, seu occultatis ad finem eas restituendi, aut revelandi, sub excommunicatione majori lata sententiæ, ipso facto incurrenda, restitutione, vel revelatione non facta intra certum terminum.

2. Ea concedere possunt Vicarius Capituli Sede vacante. Rodriguez tom. 1. cap. 17. num. 6 Diana part. 8. tract. 4. res. 17. quia Capitulum Sede vacante succedit in jurisdictione ordinaria Episcopi.

3. Generales Religionum, eorum Visitatores, & Provinciales, qui habent auctoritatem quasi Episcopalem: item Abbates Benedictini: & similes Prælati, qui solum sunt Generali subiecti: quia pro Episcopis habentur. Immo, ex cap. 1. de Cleric. peregrin. non tamen Priores, Guardiani, & similes Superiores locales, qui alios Superiores majores habent subus Generali. Tancr. tom. 5. tract. 4. q. 2. n. 1.

Adeoque Superior localis, v. gr. Prior, Guardianus, &c. si monitorium ad finem revelationis pro rebus deperditis, aut subtrahitis edat, invalidè edit, quia in hac re non est Judex competens, ob Decret. Concil. Trid. modo sub num. 5. adducendum, quod licet non excludat Prælatos Regulares, auctoritatem quasi Episcopalem habentes, uti sunt Pro-

vinciales, qui quidem jurisdictionem habent supra totam Provinciam, confessiones, dimissiones, absolutiones, dispensationes, &c. suis subditis concedendo, qua munera soli Episcopo prælata valent; excludit tamen Superiores locales; quoniam certum est, eos non habere auctoritatem, quasi Episcopalem.

Eos tamen posse monitoria edere in suis Monasteriis, non quidem ad finem revelandi pro rebus deperditis, aut subtrahitis, sed pro aliis delictis, docet cum permultis Melphi, de Pœnis, cap. 28. q. 1. & 2. quia sunt Prælati habentes administrationi conjunctam jurisdictionem cum vi coercitiva, sine qua inutilis esset eorum jurisdictionis, utpotè inermis, discipline regularis gladio destituta; ac proinde excommunicare possunt, etiam in scripto, ex cap. Cum in Eccles. de Major. & Obediens. non quidem per modum statuti, & legis, sed per modum præcepti, uti fit per monitorium. Hinc in Religionibus, ubi Apostata, seu fugitivi non sunt excommunicati à jure, potest Superior localis suum subditum per monitorium, & sub excommunicatione, ut v. gr. intra tres dies, ad Monasterium redeat, revocare.

Disparitatem autem de excommunicatione pro rebus deperditis affert. Melphi cit. quia hæc solet esse solemnior, ac majori gravitate, & circumspeditione exercenda, atque ideo ad majores Prælatos reservatur privative, quoad Prælatos locales.